



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. VIII. Stimulis internis se à Deo agitatum, donec de ipso certus esset.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

2. Superbia & libido animum opprimit, ne possit affurgere ad veritatem, & Dei cognitionem. Expertus hoc est Augustinus, qui saluberrimum principium nobis insinuat, ut nimirum memores simus Deo nos subditos esse debere, qui creaturas nobis subdidit. Ita est media velut regio, in qua infra Solem & sidera, supra terram & terrena suspensi, Deum amare ac timere, inferiora contemnere debemus. Quod si dura cervice Deo resistimus, merito carnis rebellionem opprimimur.

## C A P. VIII.

*Stimulis internis se à Deo agitatam, donec de ipso certus esset.*

1. **T**V vero Domine in æternum manes, & non in æternum irasceris nobis: quoniam miseratus es terram & cinerem, & placuit in conspectu tuo, reformare deformia mea. Et stimulis internis agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per interiorum aspectum certus esses. Et sic residebat tumor meus, ex occulta manu medicinæ tuæ; aciesque conturbata & contenebrata mentis meæ, a acri collyrio salubrium dolorum meorum, de die in diem sanabatur.

## N O T Æ.

- a *Acri collyrio salubrium dolorum*) collyrium proprie significat medicamentum oculorum. S. D. per translationem ita appellat internos stimulos, & æstum animi aspirantis ad veritatem, his enim Deus sensim sanavit ejus superbiam, propriis viribus aspirantem ad notitiam rerum divinarum, & impediendam, quo minus eas recte intelligeret. Hoc caput rectius conjungeretur superiori, continet enim periodum superioribus connexam.

C A P.